13

DISPUTATIO MEDICA PATHOLOGICA

De

COMATE ET CARO

Q V A M

D. O. M. A.

PRAESIDE

JACOBO TAPPIO

MED. D. EIUSQUE IN INCLYTA JUL. PROF. PUBLICO.

Dn. Præceptore ac Promotore suo plurimum venerando


ad diem Septembris.

IN AVDITORIO MEDICORVM.

Publico examini subjicit

ERNESTUS BARNSTORFFIUS

Hannoveranus.



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MÜLLERI Acad. Typ.

CIϽ IϽ C LXVIII

VIRO

ADMODUM REVERENDO ET AMPLISSIMO

DN. JUSTO HENRICO BARNSTORFFIO,

SS. THEOLOG. LICENTIATO, PASTORI AD D. CRUCIS HANNOVERÆ VIGILANTISSIMO,

PARENTI SVO VENERANDO

EXERCITIVM HOC ACADEMICVM, EA QVA PAR EST FILIALI OBSERVANTIA, ADIVNCTO OMNIS PROSPERITATIS VOTO

Offert & Dedicat

ERNESTUS BARNSTORFFIUS.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPVTATIO PATHOLOGICA

De

C O M A T E.

THESIS I.



Ognito somno naturali ejusque caussis, haud difficulter & somnus non naturalis cognosci potest. Quemadmodum enim somnus naturalis ex naturlibus alimentorum exhalationibus oritur; ita non naturalis ex superfluis & non naturalibus excrementitiorum humorum vaporibus ortum sumit.

II. Est autem Somnus nonnaturalis sopor sive somnus diuturnior & profundior quam secundum naræ institutum debebat esse; & qui non tantum spiritus animales & vires corporis non reficit, verum etiam miris modis dejicit & opprimit. Unde *Hippocr. aph. 3. l.2.* dicit: *Somnus, vigilia, utraq; si immoderata existunt, malum.* Variæ autem somni non naturalis sunt species, pro varia illarum exhalationum morbidarum constitutione. Communiter autem in Schola Medica ad tria genera reducuntur. Quorum primum dicitur Coma vel Cataphora, secundum Caros, tertium Lethargus, latinis Veternus.

III. Coma, Græcis dictum ἀπὸ τοῦ κοιμᾶν vel κοιμᾶσθαι quod est profunde dormire, nihil aliud est quam vigiliæ impo-

impotentia & nimia propensio ad somnum. Ejus duæ sunt species: quarum una vocatur Coma ὑπνῶδες sive *somnolentum*, quod qui eo afficiuntur non tantum propensi sint ad somnum, verum etiam præter naturam profunde dormiant, ita ut non nisi objectis sensus vehementer afficientibus, excitari possint: Altera species dicitur κῶμα ἄγρυπνον, *Coma vigil*, quia affecti valde proclives sunt ad somnum, & palpebras conniventes clausasque habent, verè tamen non dormiunt, sed varijs phantasmatibus vexantur, quibus somnus impeditur.

IV. Hujus iterum variæ recensentur Species. Est enim *Coma Vigil cum delirio aliquo*, & quidem cum simplici delirio, nempe ubi ægri absque alio concomitante morbo clausis oculis, ob Phantasiæ corruptionem, delira loquuntur & agunt: Vel *delirium hoc conjunctam habet febrim*, unde dicitur hoc *Coma Phreneticum*: de quo *Galenus libr. de Comate c.3.* ita scribit: *Quod vero Coma Phreneticis accidit, id quidem est insomne & citra sentiendi movendiq; difficultatem: Cum enim qui eo Comate laborant, vocem sonumve audiant, exsurgunt facile: quod si quis eos aliqua in corporis parte contingat, mox oculos tollunt & in tangentem respiciunt.*

V. Aliud *Coma vigil est sine delirio*: Cum ægri quietiores sunt & rationi consentanea loquuntur; etsi vix oculos ex dormiendi cupidine attollere possint. Rectius ad hanc speciem referenda est illa Cataphora, quæ *Hippocrati lib.3. Epidim.* dicitur καταφορὴ νωθρὴ *pigra & torpida*; quam ad Typhomaniam quæ turbulentum dilirium conjunctum habet.

VI. Aliud tandem *Coma quasi medium est inter somnum & vigiliam*; de utroque enim aliquid participat, & modo dormiunt affecti, modo vigilant & delirant variis spectris

& ima-

imagunculis vexati. Græci malum hoc τυφωμανίας i. e. insaniam soporosam vocant. De hoc *Galenus Comment. 3. in lib. 3. Epidimion* ita loquitur: γίνεται γάρ τι καὶ τοιοῦτον τοῖς οὕτω κωματώδεσιν ὡς ἐν μεθορίῳ καθίσθαι, τῶν ἀκριβῶς ἐγρηγορότων, καὶ τῶν κοιμωμένων. *Si quidem istis qui hoc Comate detinentur ejusmodi quippiam usu venit, ut in medio tum exquisite vigilantium tum dormientium consistant.* Hujus affectus quoq; mentionem facit *Comment, 1. & 3. in libr. prædiction. Hippocratis.* Ubi hanc speciem ex Phrenitide & Lethargo mixtam esse scribit, & nonnullis Typhomaniam vocari, id vero præter mentem Hippocr. *Libr. 4. de pulsuum causis*, hanc proprio nomine carere vult, ideoque ex adjunctis sibi signis ejus notitiam petendam esse scribit.

VII. Hic observandum primam speciem Comatis, scilicet καταφορὰν somnolentam Hippocratem κατ' ἐξοχὴν sive præcipue vocare Coma, eamque vigilijs ut plurimum opponere. Ita *lib. 3. Epidim.* in statu pestilenti inquit: Κωματώδεες ἐπὶ πολὺ καὶ πάλιν ἄγρυπνοι: *Comate ut plurimum detinebantur* (scilicet febricitantes) *& rursus pervigiles erant.* Et de Pario quodam supra Dianæ templum decumbente ita scribit: *Febris eum detinuit acuta, primo continua & ardens: Ipse sitibundus & initio Comatosus, & contra vigil erat.* Præterea duas mulieres ante statum pestilentem describens, de prima sic ait: *Alteram ex abortione ad quintum mensem ignis corripuit, quæ inter initia Comatosa erat & è converso insomnis.*

IIX. Nihilominus tamen Galenus & qui ante eum vixerunt, quique eum secuti sunt Medici, ægros qui clausis oculis ad somnum proclives quidem sunt, sed vere dormire non possunt, Comate laborare dixerunt. Galenus *libr. de Comate c. 2.* hac de re ita scribit: *Hæc admirabiles isti*

 lesisti

es isti expositores (nempe qui putabant nullo modo fieri posse ut Cataphora quis laboret, & tamen vigilet) *inquiunt, haud cognoscentes, duas esse Cataphoræ Species ut probatissimi Medicorum scriptum reliquerunt, & effectus ipsi, qui in hac re quotidie apparent expresse testantur. Nam in utraq; commune est, ut oculos attollere nequeant, sed cum eorum gravedine sint & domire velint. Alterius autem peculiare est, ut hi quidem mox profundeq; & diu dormiant. Illi autem vigiles & mobiles maneant, cum ipsis diversæ variæq; imagines rerum semper succedant, quæ illorum mentem moveant, interrumpantq; somnum, quamobrem insomnes quidem extant, de lecto autem surgere, vigilantiumq; exercere opera nequeunt: Hæc enim opera non adeo exacte persolvunt, ut facerent si sine infirmitate vigilarent: Oculi namq; eorum gravedine quadam correpti sunt, Cataphoraq; videlicet in somnum inclinatione tenentur adeo, ut sperare possis, eos facillime somnum consequi. Verum non solum non dormiunt, sed etiam, in quam ante conjecti erant, spe dormiendi omnino privantur. Quare hoc in loco potes intelligere quod Coma veluti commune vocabulum de utraq; Cataphora prædicatur; ac de illa præcipue quam Cataphoram absolute de more vocamus. Nam si somnolentam Cataphoram duntaxat intellexeris, decipieris ea de causa, quod eam Cataphoram, quæ somnolenta non est ab hac vocabuli nuncupatione separabis, quæ quidem non minus quam altera Cataphora sc. somnolenta, sub appellatione Comatis vocabuli continetur. Sive igitur somnolenta, sive non somnolenta Cataphora fuerit, Hippocrates eam Coma vocare consuevit:* Vide etiam cap. 3. ejusd. libri. Facit autem mentionem Hippocrates Comatis non somnolenti *libr. 3. Epidim. sect. 3.* in statu pestilente, quando de febricitantibus ita loquitur: Κατεῖχε δὲ ἢ τὸ κῶμα ξυνεχῶς οὐχ' ὑπνοῶδες ἢ μετὰ πόνου ἄγρυπνοι. *Eos autem aut perpetuus*

sopor

sopor non somnolentus detinebat, aut vigiliæ cum laboribus.

IX. Caussam Comatis & quidem somnolenti Galenus triplicem constituit. 1. enim dicit, Coma oriri ex sola humiditate cerebrum obruente. 2. Ex sola frigiditate. 3. Ex frigiditate & humiditate conjuncta. Humiditatem autem illam iterum duplicem facit: Aliam utilem & alimentariam: alteram inutilem & excrementitiam.]

X. Comatis autem vigilis causam esse ait, humorem calidum, acrem & putrescentem, frigidis & crudis permixtum. Præterea virium imbecillitatem, ita ut palpebras apertas servare non possint.

XI. De causis hisce Galenus in variis locis agit. Et 1. quidem Comment. 3. in Hippocrat. libr. prædiction. Γίγνεσθαι δὲ καταφορὰν, τὸ μὲν ὑπὸ πλῆθος χρηστοῦ βαρυνομένου τοῦ ἐγκεφάλου, καθάπερ ἐπὶ τῶν μεθυσθέντων. ἔστι δὲ ὅτε διὰ φλεγματικὸν χυμὸν, ἢ καὶ χωρὶς τοῦ χυμοῦ δύσλυτον ψύξιν. Ὅταν δὲ ἀγρυπνίᾳ ζευχθῇ τὸ κῶμα, δακνώδους μίξει χυμοῦ τὴν τοιαύτην διάθεσιν ἐδείκνυον γίνεσθαι. *Oriri* (inquit) *Cataphoram sive in somnum delationem, partim quidem gravato ob utilis succi copiam cerebro, non secus ac in ebriosis: Interdum vero ob pituitosum humorem, vel etiam ob ægre solubilem absq; humore frigiditatem. Ubi autem vigiliis Coma conjunctum fuerit, ex succi mordacis permixtione hanc affectionem fieri demonstravi.* 2. *In Comment. 1. in libr. 3. Epidim. Ita scribit: Sæpius propter humiditatem multam primum sentientis partis (in qua somnum fieri rectè demonstravit Aristoteles) Coma consequitur, ut nonnullis ebriosis usu venit. Sæpius vero ob solum frigus. Interdum tamen ambabus his ex causis profundus & cum sopore somnus incidit. Quin etiam propter virium imbecillitatem hujusmodi*

subortur

subortitur affectio, ubi adeo sunt emortua, ut apertas palpebras servare nequeant. Ac ita affectis contingit ut conniventibus oculis aut nihil prorsus aut parum dormiant, sed vigilent. Quem quidem affectum, ab eo qui ex humiditate & frigiditate ortus est, potissimum pulsus distinguunt, tum languidissimi & tardi, tum rari & parvi. 3. Et Comment. 3. in eund. libr. hæc habet: Τὸ μὲν ἄμικτον ἀγρυπνίᾳ κῶμα δι' ὑγρότητα καὶ ψύξιν ἔμαθες ἐγκεφάλου γίνεσθαι· τὴν δὲ ἄμικτον ἀγρυπνίαν κώματι διὰ ξηρότητα καὶ θερμότητα. Νῦν οὖν αὐξηθέντων τῶν χυμῶν, ὑγρότητα μὲν ἐπιπολλοῦσαν ἐχόντων, οὐ μὲν δή γε δριμείας ἅπασαν, ἡ μὲν ὑγρότης τὴν κωματώδη διάθεσιν, ἡ δὲ ἐκ τοῦ σήπεσθαι δριμύτης, τὴν ἀγρυπνίαν εἰργάσαντο. Τῶν ἐναντίων συμπτωμάτων ἐκ ἐναντίοις αἰτίοις εὐλόγως γινομένων. *Coma vigiliæ non permixtum, & cerebri humiditate & frigiditate fieri didicisti, vigiliam vero Comati non permixtam ex siccitate & caliditate. Nunc igitur auctis humoribus, exsuperantem humiditatem habentibus, neq; eam tamen prorsus acrem, humiditas quidem* κωματώδη *affectum, acrimonia vero ex putredine vigiliam effecit, contrariis symptomatibus merito ex contrariis causis subortis.*

XII. Post aliqua causam reddit Comatis cum conjuncto delirio: Θαυμαστὸν οὖν οὐδὲν ἠθροισμένων ἐν τῷ σώματι χυμῶν ὠμῶν, ὡς τά γε διαχωρούμενα τὴν ἔνδειξιν ἐποιήσατο, κωματώδεις τε ἅμα καὶ παραφρονοῦντας γενέσθαι. Κωματώδεις μὲν, διά τε τὸ πλῆθος καὶ τὴν ψυχρότητα τῶν ὠμῶν χυμῶν, παραφρονοῦντας δὲ, διότι σηπόμενοι δριμύτητά τε καὶ θερμασίαν ἐγγόνων. *Nil mirum est* (inquit) *collectis in corpore crudis humoribus, ut indicarunt excrementa Comate simul & desipientia prehensos fuisse. Comate quidem, propter Crudorum humorum tum copiam tum frigitatem: Desipientia verò, propterea, quod putrescentes humores acrimoniam & calorem gignebant.*

XIII. Hæc Galeni sententia, etsi prorsus falsa non

sit,

ſit, multum enim ad ſoporem inducendum faciunt humores frigidi, ſimpliciter tamen vera non eſt: non enim ſola humiditas per ſe, nec ſola frigiditas, nec frigiditas conjuncta humiditati, etſi cerebrum occupent, ſtatim Coma producunt, ut vult Galenus; ſed tum demum, quando illa humiditas vel frigiditas, vel potius humorũ frigidorũ halitus ſimul nervos & in ijs contentos ſpiritus præter naturam afficiunt. Nam ſalvis nervis, & ſpiritibus animalibus ad influxum in ſenſuum organa aptis manentibus nunquã generatur ſomnus naturalis nedum Coma. (2) Falſum eſt ex ſolo frigore abſque humore, & quidem frigore δύσλυτῳ ſive ægre ſolubili oriri Coma proprie dictum. Nam ſolum frigus intrinſece cerebrum & nervos afficere vix ullo modo poteſt, niſi ſit in humore, vel ex humore, vel ex vapore ſeu flatibus. Ex humore illud frigus eſſe expreſſe negat Galenus: nec ex flatibus vel vaporibus abſque humore ortum ſumere poteſt tale frigus, cum vapores non ſint niſi ex humoribus. Oportet igitur illud frigus eſſe ex cauſis externis; Verum neque illud ſolet agere in cerebrum noſtrum abſque humoribus vel vaporibus, ut experientia notum eſt, ex defluxionibus à cauſa externa frigida. Ponamus autem agere ſolum frigus in cerebrum, & effectum non naturalem producere, profectò tum non Coma propriè ita dictum; ſed Catalepſin, quæ ob ingentem frigidam cauſam communiter Congelatio dicitur; vel diſpoſitionem ad mortem, imò ipſam mortem procreabit.

XIV. Vera itaque vel proxima Comatis, & quidem ſomnolenti cauſa ſunt, vapores & halitus non naturales ad cerebrum nervosque delati, & ſpiritus animales ita afficientes, ut ad motum influxumque in ſenſuum organa reddantur inepti.

B XV. Effi-

XV. Efficiunt autem hoc duplici modo, vel quantitate nimia, vel qualitate noxia. Quantitate hoc præstant vapores calidi, quales à copiosa potatione vini vel spiritus vini, vel humoribus biliosis ad cerebrum exhalant; vel extrinsecus ab halitibus recentis vini, vel generosæ cerevisiæ ebullientis ad cerebrum deferuntur.

XVI. Quæ qualitate agunt, iterum duplici modo hoc efficiunt, vel qualitate manifesta vel occulta; Manifesta qualitate operantur humidi & frigidi crassique halitus spiritus animales condensantes & incrassantes, quo minus expedite moveri possint. Occulta agunt qualitate quæ vim narcoticam habent, id est quorum operatio nec simpliciter calori, nec frigiditati, nec humiditati, sed toti mixto ejusque idiosyncrasiæ adscribi debet, etsi illa aliunde non sit nisi ex elementaribus qualitatibus occulto modo mixtis. Ita somnum vel naturalem vel non naturalem pro diversa dosi producit Hyoscyamus, Mandragora, Crocus, Meconium, Opium & Laudanum opiatum; nec tamen determinate hoc tribuendum illorum vel calori, vel frigiditati, vel humiditati, vel siccitati, quemadmodum Piperis vel Zingiberis vel Lactucæ operationem tribuimus eorum caliditati & frigiditati. Præterea maligni vapores in febribus malignis & pestilentialibus ad cerebrum translati, non tam sua copia quam vi narcotica Coma sive somnum profundum illis febribus conjunctum producunt.

XVII. Causæ vero antecedentes Comatis somnolenti sunt, humores noxii, vel in ventriculo, mesenterio, utero, vel in aliis partibus collecti; qui dum à calore illarum partium resolvuntur, ejusmodi halitus & vapores ad cerebrum nervosque transmittunt. Hinc Hoffman-

nus

nus libr. 3. Institut. c. 34. de caussis somni non naturalis ita loquitur: *Verorum affectuum soporosorum causa ex somno naturali petenda est. Vt igitur somnus (naturalis) fit, elatis ad cerebrum benignis ex alimento vaporibus, sensusq; omnes ligantibus: Ita affectus hi fiunt ex crassis vaporibus iisq; longe frigidioribus & humidioribus, ex humoribus morbificis potius quam ex alimentis ascendentibus.*

XIIX. Caussa Comatis vigilis communiter quidem ex mente Galeni statuitur bilis cum pituita remixta, ita, ut inclinatio ad Somnum pituitoso humori, Vigiliæ verò & concomitans delirium tribuatur bili. Verum huic opinioni adstipulari non possumus 1. enim ipsi humores, pituita & bilis, etsi misceantur, tamen inepti sunt ad hoc malum proximè & immediatè producendum, cum ob crassitiem nervos ingredi, & Spiritus animales figere, vel excitare non possint. 2. Neque ubi mixti sunt, illi humores, talem morbum possunt producere: aut enim æquali pondere miscentur, aut inæquali; si illud, temperata inde resultabit miscella, quæ neque vigilias neque somnum naturalem nedum soporem excitabit: Si vero hoc; bilis merum generabit calorem & vigilias; frigiditatem enim pituitæ consumet ejusque activitatem supprimet: Si vero pituita prædominatur, bilis diluetur ejusque actio impedietur. Rectius igitur dicitur humores illos, absque mixtione ex diversis corporis partibus, diversoque tempore suos halitus sive vapores ad cerebrum nervosque transmittere, & diversis actionibus modò somnum, modo Vigilias efficere. In principio enim hujus morbi, dispositio & delatio oritur ad somnum, ideo etiam hic affectus vocatur & est κωματώδης; & hæc quidem ex halitibus frigidis & pituitosis

 ortum

ortum sumit; nisi enim talis dispositio soporosa adesset, nihil commune hic morbus cum Comate haberet; &, si hi halitus simplices tantum agerent, simplex quoque & quidem somnolentum efficerent Coma. Cum autem non multò post etiam biliosi & acres vapores ad cerebrum & nervos transeant, priorum halituum actio turbatur, iique magna ex parte discutiuntur, ita ut loco somni vigiliis ægri corripiantur; unde Coma apparens & Vigil succedit.

XIX. Apparens autem dicitur Coma, quia instar dormientium oculos clausos habent Affecti; & hoc inde, quod pituitosi illi halitus, etsi in cerebro sint discussi, tamen in palpebris maneant, easque aggravent, ut ægrè attolli, nedum aperte servari possint. Etenim satis laxæ & capaces sunt palpebrarum tunicæ adeo ut facillime affluentem materiam recipiant, sive sint genuini spiritus, sive halitus, & vapores excrementitii. Ut enim in vigiliis velocissimus & momentaneus ille palpebrarum motus est à spirituum naturalium copia; Ita tarditas & gravitas earundem est à crassis vaporibus. Unde quo copiosiores & tenuiores sunt illi spiritus, eò mobiliores sunt palpebræ; Cum vero spiritus illi consumuntur, vel nimia humiditate incrassescunt, vel obruuntur, earum motus tardus & difficilis redditur. Vt manifestò videmus in infantibus & adultis secundum naturam dormiturientibus, in ebriis, in catarrhosis & cerebro præter modum humido præditis; non raro enim in illis palpebræ instar vesicæ aut follis replentur & intumescunt.

XX. Falsum itaque 3. est quod Galenus dicit: δι' ἀῤῥωστίην δυνάμεως ἡ τοιαύτη γίνεται διάθεσις, οὕτως ἤδη νενεκρωμένης αὐτῆς, ὡς ἐπαιρόμενα βλέφαρα φυλάττειν μὴ δύνασθαι. *Propter virium*

virium imbecillitatem, hujusmodi suboritur affectio ubi adeo jam sunt emortuæ, ut apertas palpebras servare nequeant. Nam etsi in vero somno, sive sit naturalis, sive non naturalis, detur aliqua lassitudo & virium imbecillitas; quod ille oriatur ex spirituum animalium diurno sive corporis sive animi labore facta cōsumptione, ut quotidie experimur in dormiturientibus circa noctem : non naturalis verò ex eorundem spirituum oppressione, ab halituosorum vaporum ad nervos delatorum copia producatur: ut deprehendimus in ebrietate & affectibus soporosis. Verum in Comate vigili, de quo hîc sermo, non est somnus neque naturalis neque non naturalis: itaque in eo neque spiritus consumuntur, neque obruuntur, & consequenter tanta virium imbecillitas, ut quasi emortuæ sint, ut Galenus loquitur, neque ex nervorum affectu, neque ex alia caussa, in hoc quidem morbo, datur. Manet itaque gravari palpebras multis pituitosis vaporibus, iisque genuinos spiritus obrui & earum motum impediri.

XXI. Signa utriusque Comatis ex jam dictis fere manifesta sunt: In Comate enim somnolento, ægri profundo & diuturno somno corripiuntur, cum stertore & hiante ore: nonnulli etiam maxillam inferiorem quasi resolutam & pendulam habent: difficulter excitantur, excitati oculos quidem ad momentum aperiunt, sed statim iterum obdormiscunt.

XXII. Comate vigili laborantes propensi quidem sunt in somnum & palpebras clausas habent, revera tamen non dormiunt; sed ad levem contactum oculos aperiunt, ad interrogata respondent, etsi utplurimum cum delirio: inquieti sunt, manus & brachia, imo totum corpus hinc inde jactant.

XXIII. Signa quæ eventum hujus morbi indicant, sumi possunt 1. ex Aphor. 1. libr. 2. Ubi Hippocrates ita scribit: ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιεῖ, θανάσιμον. *In quo morbo somnus laborem facit, lethale est.* Per laborem intelligit Hippocrat. læsionem, dolorem, morbi exasperationem & augmentum. Et quidem malum signum est iste τοῦ ὕπνου πόνος, si contingat in morbi ἀκμῇ vel παρακμῇ, i. e. in statu vel declinatione, ubi in naturæ & morbi pugna illa ab hoc superatur. Quod manifestò docet Philotheus his verbis. Καὶ μάλιστα εἰ ἐν τῇ ἀκμῇ βλάβην ποιήσῃ ὁ ὕπνος, θανάσιμόν ἐστι. *Et maxime in statu si somnus nocumentum fecerit, lethale est.* Et causam addit. Τοῦτο δὲ γίνεται διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ μὴ δυναμένου περιγίνεσθαι τῶν νοσοποιῶν αἰτιῶν: *Hoc autem fit ob caloris innati debilitatem causas morborum superare non potentis.* Et Galenus in hunc Aphorismum ita commentatur: *si, quod alias est utilissimum aliquo tempore* (in morbo) *non modo utile est, verum etiam nocet, mortem non sine ratione significat. Ex somno autem læsiones sunt, quæ utilitatibus contrariæ: Idcirco quia febres ab eo non dissolvuntur, vel etiam excitantur, vel dolores intenduntur, & fluxiones multiplicantur & crescunt inflammationes. Quidam vero & inter dormiendum delira loquuntur: & ubi expergefacti fuerint, multo tempore in delirio perseverant. Quibusdam etiam initio Comatis in somno fit, & vix cum pungunturexcitantur. Hæc autem omnia contingunt propter humorum malignitatem, quod si calor innatus fortior extiterit per somnos concoquit, ubi vero debilior, in illis succumbit, ab iisq. viscera aggravantur & dictis affectibus homo corripitur.* Ἢν δὲ ὕπνος (porrò ait Philotheus) ὠφελέῃ οὐ θανάσιμον: *Si vero juvat, lethale non est.* Δηλοῦται γὰρ ἐκ τοῦ καλῶς αἱ ὕλαι πεπέφθαι; *Ostenditur enim ex hoc, materias bene concoqui.* 2. Ex aphr. 3. ejusd. libr. *Somnus*

(inquit)

(inquit) Hippocrates, *& Vigilia utraq; si modum excesserint, malum.* Quia *omne nimium naturæ est inimicum*, ut idem docet Hippocrates. Somnus igitur modum excedens malus est, ut signum & ut causa. Ut signum, quia indicat cerebrum & nervos materia morbifica vel copiosa, vel qualitate noxia & contumaci, quæ haud facile discuti possit, affectos esse. Ut causa, quod somnus diuturnus multa excrementa producat in corpore, spiritus & calorem opprimat, adeòque totum corpus ejusque actiones torpidas reddat. 3. Periculosius est Coma quod in continuis febribus oritur, quam quod in intermittentibus. In his enim cum ipso Paroxysmo cessat Coma; in continuis vero una cum ipso morbo augetur & continuatur. 4. Periculosum est Coma, quod virium imbecillitatem sequitur; vires enim jam ante debilitatas ulterius prosternit. 5. Ad salutem tendit Coma, ubi natura per alvi fluxum, vel per hæmorrhagiam, vel per tumorem & abscessum, imprimis pone aures, vel in cervice, vel juxta maxillas inferiores materia peccans excernitur: vel ubi per convenientia Medicamenta causa tollitur. Ad mortem vero determinatur, ubi materia morbifica naturam superat, vires dissolvit, & calorem nativum obruit.

DE CARO.

THESIS I.

CArus gradu & vehementia differt à Comate. Nam somnus in eo non solum profundior & diuturnior est quam in Comate, verum etiam æger commotus vel vocatus non respondet, nec oculos aperit, nec quicquam sentit, nisi ad contactum rei valde molestæ; ut si fortè pungun-

pungatur vel uratur membrum, illud commovet. Unde Galen. *Comment. 2. in lib. Prorhet.* Carum ὕπνον βαθὺν καὶ δυσέγερτον, *somnum altum & excitatu difficilem* vocat. Et Comment. in Aphor. 5. libr. 5. ita scribit: κυρίως λέγεται κάρος ἡ παντὸς τοῦ σώματος αἰφνίδιος ἀναισθησία καὶ ἀκινησία. *Carus proprie vocatur totius corporis repentina sensus motusque privatio.* Et lib. de Sympt. diff. cap. 5. vocat κάρον τῆς φανταστικῆς παράλυσιν, Imaginationis resolutionem. Vide & Com. 2. in lib. de arte. ubi & λογισμὸν καὶ τὴν μνήμην, καὶ τὴν αἴσθησιν ἅμα, καὶ τὴν καθ' ὁρμὴν κίνησιν lædi asserit.

II. Dicitur autem Carus ἀπὸ τοῦ καροῦσθαι, quod est gravi sopore corripi: Et hunc morbum excitare, Antiphon apud Julium Pollucem vocat καροῦν, cum non tantum caput, verum etiam totum corpus in hoc morbo vehementer gravetur. Obiter h. l. notandus est *Mercurialis libr. 1. de capitis affectionibus c. 7.* qui opinatur Theodorum Gazam in *Aristoteles probl. 15. sect. 3.* Male vocabulum Caros latine vertisse *gravitatem*; cum in græco textu non legatur κάρος sed βάρος, ut unicuique textum inspicienti manifestum est. *Cæl. Aurelianus libr. 2. Acutor. affect. c. 2.* hunc affectum vocat *pressuram.* Latini vocant *torporem*, torpidi enim redduntur affecti & omnibus functionibus animalibus privantur, excepta respiratione.

III. Differt itaque Carus hac in re ab Apoplexia 1. Quod in hac respiratio multis modis imminuatur, depravetur, imo ad sensum tollatur. 2. quod aliqua sensus tactus potentia in Caro remaneat: In Apoplexia vero prorsus tollatur. 3. Quod teste Galeno *libr. 4. de loc. affect. c. 2. Caro finito bona valetudo magna ex parte subsequi consuevit: Solutæ vero Apoplexiæ creberrime succedere solet vocata Paralysis.*

IV. A Le-

IV. A Lethargo differt 1. Quod Lethargus semper febrim conjunctam habeat, & quidem febrim antecedat: Carus autem non semper febrim comitetur: vel si cum febre conjungatur, hoc in fine paroxysmi febrilis accidat. 2. Lethargo affecti cum interrogantur respondent, quod neutiquam fit in Caro: quamobrem Galenus in supra allegato Comment. ad Aphorism. 5. l, 5. scribit: Hipprocrati consuetum fuisse τὰς ὁπωσοῦν καρωθέντας ἀφώνους vocare.

V. An autem respiratio in Caro prorsus non lædatur, dubitare facit nos Galenus, qui *libr. 5. de loc. affect. c. 3.* statuit tam in Caro quam in Apoplexia respirationem esse læsam, quod thorax veluti quodam vinculo ligatus sit. Verum respondemus, distinguendū esse inter Carum suis se terminis adhuc continentem & degenerantem in Apoplexiam. In illo respiratio læsa non est; sed ubi ita increscit causa morbifica, ut Carus deducatur ad summum gradum, qui proxime abest ab Apoplexia, omnino respiratio læditur. Quod ipse Galenus *libr. 4. de loc. aff. c. 2.* manifesto declarat. *Qui ita*, inquit, *affectus est, neq; sensus neq; motionis munere fungitur: spirandi tamen facultas haud quicquam læditur, vocaturq; hic affectus κάρος. Si vero adeo vehementer spirationem opprimat, ut quis vel magno conatu vix spirare possit, eorum exemplo, qui per gravem somnum stertere solent Apoplexia nominatur.*

VI. A Catalepsi discernitur Carus. 1. Quod hic affectus subito & ex improviso hominem corripiat, Carus autem pedetentim motum sensusque lædat. 2. Quod Catalepsis per intervalla afficiat, Carus vero continuus sit morbus. 3. Quod Catalepticorum corpora quasi congelata obrigescant, & in eo situ & statu in quo correpta sunt, quamdiu durat Paroxysmus permaneat, quod minime accidit in Caro.

VII. A Syncope diversus est Carus 1. quod in ea pulsus ad sensum pereat, in Caro vero magnus & validus sit. 2. In Syncope facies pallida & cadaverosa redditur; in Caro color faciei naturali non absimilis, imo interdum floridus est. 3. In Syncope sudor frigidus in facie & fronte erumpere solet, quod minime contingit in Caro. 4. Carus morbus diuturnur est, syncope vero diu durare non potest, sed citò vel ad salutem vel ad exitium tendit.

VIII. Ab uteri suffocatione dignoscitur, quod in hac omnis propemodum respiratio tollatur, & fauces constringantur, ita ut suffocatio immineat: In Caro vero integra manet respiratio, nec ullum suffocationis indicium apparet. Præterea convulsio quarundam partium in uteri strangulatu; in Caro minimè. Et tandem præfocatæ mulieres recordantur eorum quæ circa se acta sunt: non autem Carotici. Exemplum videatur apud Forestum. l. 10. Observ. 38. in Scholio. de moniali quadam revera Caro laborante & tamen pro hysterica à nonnullis habita.

IX. Causa proxima hujus mali est vehemens spirituum animalium oppressio. Hæc autem oritur à caussis vel extra, vel intra nervos existentibus. Illæ sunt 1. extrinseca nervorum compressio; nempe ubi casu vel ictu Calvaria & cerebrum deprimuntur, ita ut nervis incumbant, eosque angustos reddant, quo minus Spiritus animales libere effluere possint. Quod confirmat Hipp. l. 7. aph. 58. ubi dicit: *Quibus occasione aliqua Cerebrum fuerit vehementer concussum, eos protinus ἀφώνους γενέσθαι, mutos fieri necesse est.* per ἀφώνους autem Hippocrates intelligit Caroticos, ut testatur Galenus. Exemplum hujus rei refert *Forest. libr. 10. observ. 40. Puer quidam*, inquit, *quinque annorum, filius Brunonis Iacobi Dyssennii Delphensis, cum à suprema parte domus*

uno

ana cum cavea, quæ aviculas continebat, in terram cecidisset, ità ut caput quasi compressum haberet, statim Caro correptus, sine loquela, sensu & motu, oculis clausis per quatuordecim dies in perpetuo somno jacebat: post 14. autem dies, à profundissimo somno experrectus optimis remediis à me & chirurgis adhibitis, puer miraculi instar contra opinionem multorum sanitati fuit restitutus. 2. Hoc accidit à vehemente vasorum, vel in ipso cerebro vel juxta tempora contusione: Contusis enim venis vel arteriis, sanguis in iis grumescit & condensatur: condensatus obstructionem parit, adeò ut sanguis & cum eo spiritus vitales, quæ animalibus materiam præbent, libere distribui non possint. Vel 3. Si sanguis ille ex contusione suis vasis elabatur, corrumpatur, & tumorem excitet, qui dum nervos comprimit hunc affectū producit. Exemplum talis contusiònis ex Ictu notavit *Fermel. lib. 5. de part. morb. & symptomatibus c. 2. Vidi* (ait) *quendam ictu adeo vehementi & valido concidisse, ut sanguis ex oculis, auribus, naribus & ore manaret. Hinc tantus mentis sensuumq; stupor invasit, ut calvaria pertusa ac deinde obducta fuerit, omneq; remedij genus sine sensu inductum, isq; tertio mense restitutus sit, immemor omnium quæ obtigerant.* Et *Forest. loco* ante citato refert. *Iuvenem, cum lapide ad tempora ab alio adolescente ictus esset, statim in Carum sive profundissimum somnum incidisse, à quo excitari non potuit, quanquam à chirurgo benè tractatus esset, sed altero die somno permanente obiit. Quemadmodum alius puer annorum novem, qui, cum instrumento ligneo oblongo paulò supra frontem percussus esset, Caro etiam correptus fuit, febre acuta superveniente. Sed hic somniculosus vitam protraxit in septimum diem quo obiit. Capitis hujus Cranio sublato in anteriore parte abscessus repertus est.*

X. Huc referri potest ille casus quem vidit Hieronymus Mercurialis in quodam vulnerato, qui ex importuna

 perso-

perforatione Cranij facta à chirurgo statim factus est Caroticus, ut scribit *lib. de Capit. affectib. c.7.*

XI. Intra nervos fit illa spirituum animalium oppressio, vel impeditur illorum distributio; non quidem ut Sennertus vult, ab obstructione meatuum cerebri: si enim per meatus ventriculos intelligit, ex eorum obstructione hunc affectum fieri non posse supra fuit demonstratum: nec cerebri refrigeratione & humectatione ab humore crasso & frigido; talem enim humorem nervos ingredi, eosque infarcire non posse in antecedentibus sæpius ostendimus: sed oritur illud impedimentum ex halitibus copiosis, sive illi sint calidi sive frigidi, spiritus sopiendi vim, & quidem in gradu majore quam in Comate habentibus; Causarum enim vehementia Carus à Comate differt.

XII. Quod autem Sennertus scribit, ex Arteriarum Carotidum læsione etiam hunc affectum oriri, quod illis arterijs læsis spiritus vitales, ex quibus spiritus animales generantur, ad cerebrum transferri non possint, & consequenter spirituum animalium generatio cesset, id veritati consentaneum non est. Nam quando ita læduntur, hæ arteriæ, ut spiritus vitales ad cerebrum transire non possint, & spirituum animalium generatio impediatur, profectò non Carum sed Apoplexiam generari necesse est. Carus enim morbus diuturnus est: quomodo autem longo isto morbi tempore sanguis, & in eo contenti spiritus vitales immoti in illis arteriis subsistere possunt absque insigni noxa cordis, imprimis suffocatione?

XIII. Neque dissipatione spirituum ex maximo dolore & aliis causis, Carus proprie dictus generari potest: cum natura tantam tamque diuturnam spirituum dissipationem, ut Carus inde nascatur, ferre non possit. Ex ingenti

genti quidem dolore, ut experimur in maleficis qui carnificum torturæ subjiciuntur, oritur interdum simile quid somno profundo, sed ille affectus non verus Carus, sed potius Leipothymia est, orta ex virium resolutione, quæ diu non durat; aut enim reficiuntur ita affecti gratis adhibitis medicamentis, aut statim moriuntur; natura enim illum caloris & Spirituum defectum diu sustinere non potest. Non rarò etiam ejusmodi somnus profundus in veneficis non à cruciatibus illis, sed Cacodæmone inducitur.

XIV. Causæ autem antecedentes illorum halituum, proxime Carum efficientium sunt vel internæ, vel externæ. Internæ sunt humores noxii, imprimis humores frigidi, crassi & pituitosi; & alia in corpore nostro præter naturam genita. Externæ sunt 1. Casus, ictus, vulneratio de quibus th. IX & X. diximus 2. quæ magnam vim narcoticam i. e. Sopiendi spiritus animales habent, ut opium, crocus, solanum, mandragora &c. quæ pro diversa quantitate adhibita diversum quoq; operandi modum & gradū habent: Et primò quidem naturalem somnum, deinde verò eorum quantitate aucta, somnum non naturalem vel Coma, vel Carum producunt. His adnumeranda venena: ut esus fungorum lethalium, fumus carbonum accensorum, halitus calcis recentis, conclavium parietibus illitæ, & virulentus odor cornuum rerumque metallicarum, præcipue vero morsus venenatorum animalium Carum & lethalem torporem inducit, imprimis Serpentum, quibus *admotis ad venas, sic morte, quasi somno soluta est* Cleopatra Ægypti Regina, teste *Jul. Floro l.4. c. XI. Plutarch. in Antonij vita* refert, *Aspidem hydriæ inclusam fusoq; aureo ipsam lacessentis & stimulantis arripuisse Cleopatræ brachium.* Inde, *in triumpho Cæsaris imago translata est ipsius Cleopatræ & Aspidis mordicius brachio affixæ.* Quod confirmat Galenus *l. de Theri. ad*

 Pison.

Pison. c.8. ubi hæc tradit. *Aspis quædam reperitur nomine Ptyas, quæ perinde ac si tunc ratione prædita foret, æstimata intervalli distantia, collum eousque extendit, ut possit iter facientibus commode venenum inspuere. Horum itaque Serpentum uno (siquidem tria sunt Aspidum genera, Ptyas, Chersea & Chelidonia) Reginam ferunt Cleopatram cum vellet custodes fallere, citra suspicionem repente sibi mortem conscivisse. Nam Augustus qui Antonium vicerat, & Cleopatram vivam capere, & vivere volebat, magna diligentia ipsam, ut par fuit, servabat, quo tam insignem faminam Romæ in triumphum duceret, id Cleopatra cum persensisset, & elegisset, etiam tum Regina potius è vita decedere, quàm privata de se Romanis spectaculum præbere, hoc Serpentis genere sibi mortem inferre decrevit, convocatis itaque duabus fidissimis Ancillis Naera & Carmione* (idem narrat Plutarchus, ancillarum autem una ipsi Εἰρας, altera χάρμιον vocatur) *quarum ministerio ad cultum corporis utebatur: nam altera capillos decentes complicabat, altera scite unguium putamina rescindebat: jubet contectam ficubus & uvis Ptyadem inferri, ut, sicut diximus, custodes lateret; inde periculo in ancillis prius facto, num celeriter Serpens illa necaret: ut vidit eas celeriter interiisse, deinceps illam sibi admovit.*

XV. Ab Aspide autem demorsis, inquit *Dioscorides l.6.c.54.* Ταχεῖα ἀμαύρωσις ὀμμάτων καταλαμβάνεται: πόνος τε ὅλου τοῦ σώματος πολυειδὴς, παντάπασιν ἐλαφρὸς, καὶ οὐκ ἄπερ ἡδονῆς παρηκολουθεῖ. διὰ καλῶς ὁ Νίκανδρος πεφώνηκε.— Καμάτου δ' ἄτερ ὄλλυται ἀνήρ. βλέφαρα κινοῦνται μετὰ ἀναισθησίας ὁμοίως ὕπνῳ. Hoc est: *velox caligo oculos obnubit, dolor toto quidem corpore, sed omnino levis, & non sine voluptate consequitur. Quapropter pulchre Nicander cecinit.— at vir perit absque dolore. Palpebræ sine sensu connivent, veluti urgente somno.* Expressius hoc tradit *Aetius Tetrabibl. III. Serm. 1. c.20. Cæterum,* inquit, *accessiones & symptomata communia sunt in his quos aspides momorderunt.*

Vulnera

Vulnera enim demorso loco veluti ab acu puncta inveniuntur. (Quod etiam in corpore Cleopatræ, teste Plutarcho, observatum fuit) *Bina quidem ex masculi morsu, ex fœmellæ vero quatuor, citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, nisi violentum animal sit quod morsum inflixit. Consequitur autem stupor, pallor frontis, refrigeratio, assidui hiatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis gravitas, segnities & collapsio in somnum profundum.*

XVI. Causam cur aspis *νυγμὰς λεπτὰς καὶ ἀμυδρὰς* ut Plutarchus loquitur, i. e. *notas sive puncturas tenues & exiles* suo morsu infligat, exponit Cl. *Aelian. l. IX. de animal. nat. c. 41.* his verbis: *Morsuum vestigia tam perparum apparentia Aspis imprimit, ut indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cur verò tam sint obscura ignotaq; Caussa hæc est. Ipsius venenum ad transmittendum est peracutum, mirabiliq; celeritate ad intima transitionem facit. Quum enim hæc ipsa morsum effecit, venenum non eminet circa superficiem: sed sub cutem subiens, intra meatus penitus subit, atq; sic ad intima delabitur, ut nihil extet atq; emineat.*

XVII. Capite sequente idem Aelianus lepidam temerarii Circulatoris, sibi ipsi imprudenter vitam veneno Aspidis adimentis historiam recenset. Non possum, quin illam his subnectam, imprimis cum ea Aspidis morsu stuporem fuisse inductum ostendat. Ita autem se habet. *Quum Pompeius Rufus Romæ adilitium munus obiret, Quinquatriis vel Panathenaico festo, ut solet in Romano foro fieri φαρμακοτρίβης ἀνὴρ, καὶ τῶν τοὺς ὄφεις ἐς τὰ χρήματα τρεφόντων ἑτέρων ὁμοτέχνων παρεστώτων πολλῶν, ἀσπίδα κατὰ τοῦ βραχίονος προσάγει, εἰς ἔλεγχον αὐτοῦ τῆς σοφίας. ὁ δὲ παρέσχε, καὶ ἐδήχθη, εἶτα τῷ στόματι ἐξεμύζησε τὸ κακόν. Circulator aliis permultis, qui eandem quam is ipse artem factitarent, circumstantibus, ad suam ostendendam sapientiam, simulq; ex artificio suo specimen dandum, Aspidem brachio suo admovit, & ex impresso morsu malum exuxit. Quum autem postea aquam quam sibi præparaverat non exsorbuisset, quod ea esset subducta (ex insidiis enim vas fuerat eversum) veneno*

non

non absumpto, neq; absterso, secundo post die, sine doloris sensu, sensim & pedetentim pernicie veneni illapsa, postquam ejus os & gingivæ contabuissent, vita privatus est. Præterea Strabo l. XVI. refert; *In felicissima Sabæorum terra quæ maxima natio est*; in qua *& thus, & myrrha & cinnamomum nascitur, & balsamum, & alia quædam herba valde odorata* (hujus nomen non exprimit) *quanquam ejus odor cito deperit*, Incolas, qui etiam *palmas odoratas & calamum habent*, ex harum plantarum odoris fragrantia Caro sive stupore corripi; quod fieri oportet ex copiosis halitibus fragrantium rerum ad nervos delatis spiritusque animales obruentibus. Addit autem Strabo: *Ab odoribus autem stupefacti, suffitu, bituminis & barbæ hirci stuporem tollunt.* Nempe tum copiosi illi fragrantes halitus discutiuntur, adversante hoc bituminis & pilorum hirci odore.

XIIX. Signa hujus affectus ex ante dictis facile colligi possunt. Ægri enim diuturno & profundo somno obruuntur, ita ut neque moveantur neque sentiant, nisi re vehementer feriente vel pungente; Interrogati non respondent, interdum vero magno clamore vocati oculos aperiunt, sed statim iterum claudunt.

XIX. Signa prognostica quod attinet, docet Hippocrates in Coac. prænotionib. Τὸ καρῶδες πανταχῦ κακὸν: *Sopor profundus semper & ubiq; malus.* Quod repetit *lib. 1. prædict. Aphorism. 63.* 2. In iisdem dicit: Κεφαλαλγία καρώδης μετὰ βάρεος ποιεῖ τι σπασμῶδες; *Dolor capitis cum sopore & gravitatis sensu efficit convulsivum quid.* Quod halitus illi caput occupantes & dolorem producentes etiam nervos repleant eosque distendant, adeoque motum convulsivum producant. 3. Carus in quo etiam respiratio læditur valde periculosus est; illum enim ab apoplexia parum abesse significat. 4. Quo facilius Caro affecti excitantur, eò levius est malum; quò difficilius eò gravius. 5. Carus in febrium fine superveniens plerumque lethalis est. 6. Carus ex magna evacuatione & spirituum dissipatione ortus mortem imminere designat.

FINIS.